

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 134

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus tam posteris quam presentibus, quod ego Folmarus abbas sancti Petri sanctique Remacli, omnibus sanctorum ecclesiis exhibens omniumque in Christo fratrum pacem et honestatem diligens, fratres de Sancto Dyonisio in Leodio absolvi a quodam respectu quo videbantur obligati in vilia nostra Sclacins pro vinea quam ibidem habent hereditario quidem jure a predecessore meo acquisitam, sed non usquequaque placita sibi et libera satis conditione possessam. Fundus ejusdem vinee ad curtim nostram Sclacins appendebat ibique censum persolvebat et de manu laicali donum ejusdem hereditatis oportebat requirere, quod fratribus illis minus expeditum videbatur nec honestum sue ecclesie, licet prius etiam post datum censum liberi ab omni responsione. Itaque ego Folmarus gratia fraternitatis et amore pretiosi martyris Dyonisii, annuens eorum petitioni, consensu et voluntate fratrum de Malmundario meorumque fidelium consilio, terram illam ab omni potestate et respectu supradicte curtis, ita liberam et absolutam fratribus illis reddidi, ut deinceps in Malmundario preposito ejusdem ville Sclacins censum persolvant et de manu abbatis donum requirant et accipiant. Census autem est quatuor sol. et I den., quem singulis annis in festo sancti Remigii persolvent, et quantum census est tantum per defunctam manum in requisitione dabunt. Quod si de censu supersederint, II tantum sol. in emendatione, nisi misericordia intercesserit. Si vero de utroque et de censu et emendatione supersedentes cuncti venerint ad justiciam, iudicio parium coram abbate facient justiciam. Hanc autem traditionem eo libentius ita liberam fecit, quia fundus ejusdem vinee mons fuerat asper et incultus, nulla quidem utilitate proficuus, donec frater Richerus ejusdem ecclesie sancti Dyonisii canonicus partem ejusdem montis secundum quod limites ibidem positi disterminant a predecessore meo Rodolfo abbate acquisitam vineam excoluit, et quod omnibus erat infructuosum, multis in usum tam nostre ecclesie quam sue convertit, sperans hoc saluti sue profuturum et per nostras et per illorum orationes apud misericordem Deum. Facta est hec traditio in Malmundario assidente fratrum et astipulante collegio. Cujus traditionis testes sunt clerici : Rodulfus, Martinus, Adelinus, Engelbertus, Gerardus, Lanfridus, presbyteri; laici : Robertus de Longia, Arnulfus, Hillinus, Godescalcus, Euerardus, Euerelmus. Si quis hanc traditionem violare presumpserit, partem habeat cum Juda traditore fialque anathema maranatha. Quicquid vero supradictum est ut omnino inconvulsum permaneat, hanc cartam proprio sigillo confirmavi. Actum est hoc anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>, indictione XII, imperante Heinrico III<sup>o</sup>, Oberto episcopo, Folmaro abbate.